JESU fortunante!

FLUMEN DYSEN-TERICUM,

Quod

SPECIMINIS INAUGURALIS

locô,

ex Auctoritate

Gratiosissimi MEDICORUM Ordinis,

in

ILLUSTRI ACADEMIA WITTEBERGENSI,

PRÆSIDE

DN. D. GEORGIO FRANCO,

Aliqvot S. R. I. DNN. ELECT. & Princ. Consiliario & Archiatro splendidissimo, C. P. Cæsar. Pathol. P. P. longè celeberrimo, Acad. Leop. Imper. Adjuncto, d. Argus, ac Ital. Recup. Collega Gravissimo, &c.

Dn. Mæcenate ac Promotore suo æviternâ, post DEUM, observantiâ sanctè suspiciundô,

pro

LAUREA DOCTORALI

solenniter capessunda,

H. L. Q. S. ad Diem 29. Novemb. An. cIↄ Iↄc XC.

P. P.

FRIDERICUS GOTHOFREDUS Glück

Naumb. Misn. Med. Pract. & h. t. Phys. Wurz. Ordin.

WITTENBERGÆ, Typis CHRISTIANI SCHRÖDTERI, Acad. Typ.

VIRO,

ILLUSTRI atque MAGNIFICO,

DOMINO

D. HEINRICO ERNDELIO,

SERENISSIMI, POTENTISSIMIq;

DNI ELECTORIS

SAXONIÆ, &c.&c.

CONSILIARIO & ARCHIATRO

SPLENDIDISSIMO,

MEDICO,

Ævi hujus Incomparabili ac Summo,

MÆCENATI ac PATRONO meo ævi-ternùm ſuſpiciundo,

in perpetuæ OBSERVANTIÆ & CULTUS devoti fidem,

Hoccè qualecunqve Specimen Inaugurale,

meq; ipſum

Pio cum voto

L. M. Q.

ſacrifico,

TANTI NOMINIS

Cultor ac Admirator indefeſſus

FRIDERICUS GOTHOFREDUS Glück.

Ξὺν τᾷ τῶ θεῶ παλάμᾳ!

PRÆFATIO.

ROris Microcoſmi ſive ſeroſi noſtri Laticis in ſexus utriusqve corporibus Colatoria peculiaria ac vaſa etiam excretoria ſive cribra ad oculum diſpaleſcunt, nullibi M. S. in ſtatu naturali Hæmorrhoidalium vaſorum in certo hominum genere, ſi rectè memini, apertura notabilis deprehenditur non naturaliter. Imò viri aliqvot ſingulis Menſibus mictum quendam cruentum perpatiuntur, qui nihilominus cætera valent. Judæi an ſingulis Menſium curriculis aliqvot guttulas ſangvinis, per urethram excernant, in dubio relinqvimus, vid. ὁ πάνυ *Bohn. in Circul. anat. Phyſiol. p. m. 239.* Tributum etiam ☽re ſexus ille ſeqvior ſua ſpontè ſolvit. In ſtatu verò præternaturali Purpurea noſtra Maſſa vel per ſe vel per accidens, h. e. qvantitate vel qvalitate peccans, Microcoſmi Oceanum ſæpiculè deſerere cogitur, ità ut per narium tubulos in hæmorrhagiis, vel per vaſcula Urinoſa, ceu accidit in mictione cruenta; vel per vaſa hæmorrhoidalia in ſat copioſa qvantitate fluminis adinſtar cruenti haud rarenter excludatur. Totum illud corpus tubulatum Inteſtinorum ſua qvoqve fata patitur, variis ſcilicet ſangvinem eructandi modis gravatum. Haud infimum verò ſibi *hoc annô* vendicavit *Dyſenteria*, affectus ſanè truculentiſſimus, à quô non rarò anima ſimul turbatur, è ſedeq; ſua pellitur. Imò ſi epidemica fuerit noxioſiſſimâ contagione ſerpens integra caſtra, integrasqve non raro regiones cum ſtrage multorum inficit, ac in πανωλεθρίαν qvaſi conſpirans Medicos ipſiſſimos peſſundat, ceu contigit præteritô

annô

anno incomparabili Medicinæ Cartesianæ Restauratori illustri *Dn. Waldschmidio* in Castris ad Moguntiam. Digna qvapropter mihi visa est hæc Lerna, ut eampse, in hoc specimine Inaugurali qvasi qvasi penitiori mentis indagine pro ingenii nunc modulo pensitandam sumserim. Faxit verò Archiater Animæ, ne ullus infaustus successus huic conatui sit remeligini. Te verò φιλοφίλτατε Lector demissè rogito, velis, si alicubi humanitùs forsan erratum fuerit, veniam indulgere, sic pigebit nunquam, sicubi hæsitaverim, quærere, nec pudebit, sicubi erraverim, discere!

CAP. I.
THEORETICUM.

§. 1. Hisce prælibatis fretus cœlesti favore præsens Thema aggredior, ubi literarum trium Tyranno in tantum velificaturus primum locum concedam *Notationi sive Genealogiæ* hujus affectus, rimando ejusdem *Etymologiam*, hinc *Homonymiam* & demum *Synonymiam*.

§. 2. Agnoscit verò noster affectus *Græca* incunabula, *derivatur* enim à particula inseparabili δυς, qvæ in compositione utplurimum denotat qvandam difficultatem, & substantivô plurali τὰ ἔντερα, Intestina. Sed hic notetur, hanc difficultatem non ita esse enucleandam, qvasi segniter ac tardè sese exonerent à scybalis aliisq; heterogeneis qvisqviliis, qvemadmodum elucescit in Etymo δυστοκία &c. ast qvod malè ac crudeliter infestata sese habeant. *Conf. Dieterich. in Jatr. Hipp. n. 215. seq. p. 373. & ex hoc Brunon. Lex. Med. p. 331.*

§. 3. Nunc *Homonymia* etiam in conspectum prodeat, hæc enim ni ἀκριβῶς enodetur, fœcundissima errorum genetrix audit. Deprehenditur verò hujusce vocis Homonymia in Scholis Medicorum πολύσημ☉-. Sumitur enim Dysenteria vel *in latiori* aut generaliori significatu, pro qvavis cruenta dejectione, qva de re consulatur immortalis famæ *Sennertus*

prax.

prax. l. 3. p. 2. &c. vel *in restrictiori* ac proprie magis, ubi τὰ ἔντερα ξύεται καὶ ἑλκοῦται, h. e. intestinorum canales roduntur & exulcerantur.

§. 4. *Synonymiam* qvod concernit, *Dioscorides* qvasi per περίφρασιν vocitat δυσεντερικὸν πάθος. *Celsus* verò à symptomate concomitante, Tormina. *Galeno* arridet ἕλκωσις ἐντέρων &c. *Italis* dicitur Caca sangue, It: flusso di sangue, *Gallis* flux de ventre avec sang & trenchées it. la dysenterie, flux de sang. *Germanis* verò die rothe Ruhr/ der rothe Fluß/ der rothe Durchlauff/ vel si plus muci, quàm sanguinis excernatur, die weisse Ruhr. Plures verò enucleare hic Synonymias superfluum autumo, ne crambe vel millies decocta delicatiori Lectoris palato apponatur.

§. 5. Missô itaque viliori cortice in ipsius rei penetralia descensuri, ipsissimum potius nucleum degustabimus, præmittentes *Definitionem* realem, ita ut *Dysenteria* sit *Dejectio alvi* p. n. frequens *cruenta* æquè ac *purulenta* cum ventris torminibus ac dolore exquisitissimo ab Intestinorum *erosione* atque *exulceratione* dependens.

§ 6. *Genus* in hac Definitione patescit ex αὐτοψίᾳ & propria ægrotantium confessione. Posui scilicet *Dejectionem* p. n. Noster enim affectus ad præternaturaliter *auctam* & *depravatam Excretionem* rectè referendus venit. *Frequens* etiam est, cùm una excretio alteram mox continuô tramite excipiat, ita ut unâ nocte sæpiculè 40. vel 50. sedibus & ultra miselli vexentur. *Cruentas* demùm ac *purulentas* particulas in excretis sempèr ferè deprehendi, etiam notissimum ex praxi.

§. 7. *Pars affecta* seu *Subjectum* hujus Morbi est tota *Intestinalis* Camera, cujus totalem tractum & anfractum, si curiositati litare allubescit, elegantissimè ac recentissimè delineatum deprehendes apud oculatissimum *Godefridum Bidloo.* Utplurimum verò Intestinorum *crassiorum* compages, ceu hujusce morbi principale subjectum venditatur à multis Auctoribus, vid. Clariss. *Spigelii anat.* & celeberr. *Bartholinus cent. 6. histor. 2.* Qvin tamen interdum *tenuia* suos quoque pati manes, præ-

ter sectiones exulceratorum Dysentericorum, quales *Barbette prax. l. 4. c. 5. & M. N. C. 73. obs. 116.* attestantur; disparitas quædam signorum, de qua infra dicetur, credere jubet. Imò *utraque* simul affici Intestina, apprimè in Dysenteria Epidemica vel maligna, *Horstius l. 4. obs. 20.* graphicè ac sat nervosè deducit.

§. 8. Verùm enim verò divortium hac in parte facit subtilissimus Anglorum *Willisius tract. de febb. c. 10.* mordicùs defendens, *partem primariò adfectam* in Dysenteria haud esse Intestinorum tubulos, sed focum potiùs vel mineram delitescere in vitali flumine purpureo, h. e. in tota *Massa Sa.* qvatenus scilicet hæc ab *effluviis malignis* contagiosis ab extrà per athmosphæram haustis inficitur, unde sat notabilis in Mole Sa excitaretur p. n. orgasmus sive miasmatica fermentatio, per quam particulæ heterogeneæ nocivæ præcipitarentur, præcipitatæq; ad Intestinorum receptacula tortuosa veherentur.

§. 9. At at pace Tanti Viri mihi integrum erit paulisper assensum sufflaminare. Positô siquidem, sed non concessô, imprimi globulis purpureis Massæ Sæ à talibus ἀποῤῥοίαις malignis ejusmodi motum p. n., per quem particulæ corrosivæ demùm transportarentur ad Intestinorum arundinem, ut inibi per pressuram ac solutionem continui erosiones atque exulcerationes notabiles pullulent: attamen planè non video, quid hîc obstaculo fiet, quò minùs illa miasmata, vel si mavis fermenta maligna transferantur quoque in alias vitalis statuæ partes, inibiq; parili modô effectum erosionum atque exulcerationum producant, haud seciùs, ac cotidiè animadvertere licet, scabiem à miasmate maligno per contactum contractam, non sanè efflorescere in certa saltem ac specifica quadam parte, sed potiùs in tota corporis periphería extima. Sic variolæ à fermentatione miasmatica p. n. in Massa Sanguinea excitatæ, an in unica saltem parte conspicuæ fiunt? minimè gentium! Enitescunt potiùs per totum molis corporeæ ambitum. Imò siccô pede prætereo variolas internas passim, in specie verò ab *Horstio* & *Hildano* observatas.

Hinc

Hinc si particulæ tales peregrinæ corrosivæ præcipitarentur in Dysentericis, metus sanè esset, ne potius exulceratio quædam manifesta Elephantiasi vel lepræ similis succresceret. Imò si talium molecularum p. n. fieret præcipitatio, citius longè propellerentur ad habitum Corporis externum, quippe in quo aër externus ambiens velocius coagulat, quàm in Intestinorum cohobiis, uti videmus ordinariè variolas copiosius efflorescere in partibus extimis, quàm intimis. Dein cotidianâ experientiâ edocti τῶν ἀμφοῖν credo mihi largientur cuncti cordatiores Practici, sæpiculè diarrhœam quandam prodromum esse dysenteriæ absque tamen notabili effervescentia sive ebullitione Massæ Sæ, hinc permulti ægrotantium dysentericorum primis diebus liberi incedunt, hilaresq; assumunt consuetam alimoniam, imò ne vestigium quidem caloris sive phlogoseos enitescit in facie, quod æquè ἀδύνατον esset, si in Massâ Sa talis excitaretur effervescentia, talesq; turbulenti impetus ac motus orgastici. Quis enim sodes, non observavit, καθ' ἡμέραν variolisantes tempore ebullitionis longè pejùs sese habere, quàm fortean tempore suppurationis ac maturationis.

§. 10. Ex his proinde ὀφθαλμοφανεστέρως dispalescit, Fluminis Dysenterici partem primariò adfectam reverà esse totam Intestinorum Cavernam, ut ut non negem Erosionem Intestinorum dein subsequi ceu pedissequam inflammationem, hinc gangrænam, & in iis, qui morti cedunt, non raro perfectum Sphacelum. *vid. Barbett. & Hildan. obs. chir.* Hinc est, quod in dysenteria sæpiculè vehementissimæ febris travmaticæ ludatur tragœdia, quam κατὰ πόδα comitantur frequentiora animi deliquia, enormissimi vomitus, sitis inextingvibilis, agrypnia continua, cephalalgiæ intolerabiles, deliria phantastica, demumq; etiam ipsissimi insultus epileptici, quæ symptomatum syndrome Massæ Sæ p n. affectæ suum debere εἶναι, quivis emunctæ naris videt, sed propterea hæc Moles Sa non statim tanquam subjectum principale insons accusanda, cum potiori jure vices *subjecti minus principalis vel secundarii* subeat.

§. 11. Hæc

§. 11. Hæc verò Intestinalis fistula quam maximè & apprimè patitur *qvoad proprias tunicas*, quô in negotio primò spongiosa ac villosa interior crusta sive velamentum bombycinum, h. e. *prima tunica glandulosa* afficitur, hinc ejus quædam ramenta abraduntur, unde in dysenteriæ principio tantillæ striæ purpureæ, cum fœculentiis pingvibus, spumosis, viscosis ac albidis apparent, dum nempe expressis p. n. miliarium glandularum papillis jugi affluxu Intestinalis lympha stillat. Ulteriùs verò serpente acrimoniâ & *secundæ tunicæ fibrosæ* sive carneæ stamina *circularia* corroduntur, unde cum excrementis cruentis fibræ pelliculæq; excernuntur, vel demùm *nervosa* sive membranosa tunica deglubitur, unde frustula carnosa cum membranulis & sanguine multô ejiciuntur, dum ipsa venarum & arteriolarum oscula aperiuntur.

§. 12. Perlustratâ itaque Morbi Sede ad *Causas* me accingam. *Immediatam verò Dysenteriæ Causam* statuo, excoriationem sive *corrosionem* Intestinorum, unitatem nempe eorundem solutam, hincq; *exulcerationem* subsequentem. Dum enim particulis acrioribus ac degeneribus in ἀταξίας exorbitantes conjicitur ventriculus ille continuatus, necessario qvoqve seqvuntur dejectiones alvinæ sat copiosæ, sed etiam tales peregrinæ moleculæ, corrosivô stimulô fœtæ post penetrantem erosionem, demùm ulcus producunt. Hîc verò vix in nostro turbabimur circulo ab *Helmontio*, statuente, Intestina exulcerari neutiquam posse, quia *vulnera* Intestinorum sint incurabilia. Sed hoc levioris armaturæ argumentum nostram non statim enervat hypothesin, sed sua sponte corruet, si distinxerimus inter vulnera Intestinorum penetrantia magni & parvi momenti, & inter superficiaria eorundem ulcuscula, tunicas plerumque interiores occupantia; quæ diutiùs ægrotantes tolerare possunt, teste Medicorum *Angelo 7. administr. c. 13.* Imò ipsissima quandoque Intestinorum vulnera sanata fuisse & adhuc sanari fidæ observationes multorum Insignissimorum Practicorum testantur. vid. instar omnium *Boneti* & *Bohnii* liber cedrô dignus *de lethalitate vulner. Mœb. in fund. physi. Bausch. proœm. Travm.*

§. 13. *Cau-*

§. 13. *Causam mediatam proximiorem* enucleantes, autumo, hancce hærere in *acrimonia* quadam enormiori, ipsissima intestinorum penetralia occupante, quæ acrimonia æmulatur ad amussim ejusmodi corpora, quæ ⊖no tali charactere *corrosivo* magis sunt prædita. Hæc acrimonia Principium nostrum Vitale simul per systema nervosum afficit, qvô tot & tales convulsiones sive spasmi excitantur in Intestinis. Hinc non inepte asseruit Philosophus per △m *van Helmont, tr. pleur. fur.* Archæum irritatum esse causam sonticam dysenteriæ, qvatenus acidum aliqvod peregrinum Archæum irritet sive stimulet. Factâ itaqve irritatione tali nervorum, maximè constringuntur Intestinorum fibræ. Continuatâ verò hac convulsione fit perturbatio *succorum vitalium*, in ventriculo, intestinorum cavo, pancreate, ipsoqve fellis folliculo, *ob inversum motum peristalticum.* Quapropter dum succi hoccé modô p. n. commoventur, fibræqve intestinales irritantur, seqvuntur ejectiones tàm freqventes cum exquisitissimis lancinationibus. Hîc verò ὡς ἐν παρόδῳ annotare allubescit, me vix pollicem posse premere Immortali *Sennerto Pract. Med. l. 3. & Rolfinckio Epit. Meth. cogn. l. 3. c. 17. de dys.* (cæteroqvin splendidis Duumviris Reipubl. Medicæ) dum ὁμοθυμαδὸν asserunt, humores, qui dysenteriam producant, *occultam qualitatem* in sinu fovere, quâ *peculiariter* Intestinis sint infesti, eaque hoc modô exulcerent. Verùm (pace tantorum Medicorum!) sciendum est, *Veteres* explanantes Morbos suos *per* certas *Intemperies* benè multos observâsse, quos manifestioribus qualitatibus imputare nequivêre. Iccircò hos in acceptos tulerunt aliis qualitatibus præter *quatuor* primas; quià autem has genuinô ac verô magis nomine salutare nescivêre, eas vocitarunt *occultas*, ceu extrà Intellectus sphæram positas, undè & *Morbi* ipsis audivere *occultarum qualitatum*, quasi verò radiô quodam occulti regiminis irruant in corpoream Machinam. Hi morbi profectò in causâ fuêre, quò minùs *Nosologia* superioribus temporibus tàm curatiùs fuerit exculta. Dum reddituri Medici morborum

[illegible]ιαν; mox eamque ob causam cum [illegible] suavis-simum asylum quæsivêre in his ipsis qualitatum occultarum pomeriis, quæ tamen tàm arctis cancellis includi se haud patitur. Addo insuper ὀδενίαν quaternionis Qualitatum veterum, quæ tamen nihil aliud sunt, quam *figuræ minimorum corpusculorum* & hâc vice vix merentur refutationem, cùm hoc jam fecêre passim subtilissimus *Gassendus Phys. s. 1. l. 6. c. 14.* Illustrissimus *Boyle & Acutissimus Sturmius in Philosoph. eclect.* Atenim hodienum jam in disco quasi ☉is positum est, plures morbos veteribus dictos occultarum qualitatum originem trahere, partim *ex Ideis* è corporibus in corpora *transplantatis*, partim *ex qualitatibus ⊖nis*, partim etiam *ex textura* sive structura *Organorum vitiata.* Exempla sunto, noster affectus, it. Lues ♀ea &c. hi morbi statuuntur dependere à qualitate occulta, siquidem neq; *calor*, neq; *frigiditas*, neq; *humiditas*, neq; *siccitas*, symptomata in his morbis observabilia producere valent. Hos autem morbos si ad incudem *Chymiæ* debitè revocamus; omninò fit planissimum, oriri à lympha aliqva ⊖e corrosivo imprægnata, unde & in partibus mollibus oriuntur exulcerationes, in duris caries &c. Esse verò in causa ⊖ia talia corrosiva indê liquidô liquidius liquet, quòd aliis ⊖bus æquè ex prosapia Corrosivorum oriundis Machinæ nostræ Microcosmicæ partes exulcerari & carie infici felicissimè possint. Sic v. g. varia ⊕la, ⊖(, cantharides, succus ari, an non erodunt partes nostras ratione ⊖is sui acris. Quanta enim vis corrosiva lateat in ⊖(co notorium est, quippe quod prætereà gaudet potestate dissolvendi omnem pingvedinem totius Corporis. Quòd verò *in Machina humana* generari possint talia ⊖*ia acria* vel liquores stygii aut septici, rursus ad oculum demonstrat Experientia. Sic v. g. in Ventriculo p. n. *liquor fermentalis* degenerat in tantam aciditatem, ut eâ verum ⊕lum ex ♀e vel orichalco elici possit; hinc in dysenteria etiam non rarò ipsissimæ ventriculi tunicæ sunt exulceratæ, annotante hoc πολυμαθεστάτῳ *Joh. Jac. Waldschmid. Inst. Med. rat. p. m. 104.* ⊖ verò corrosivum Gal-

lico-

licorum quis nescit summè corrosivum esse? Cæteros morbos à veteribus occultis qualitatibus annumeratos, sed malè, hîc silentii sipariô involvere allubescit, ne ὅπερ τὰ ἐσκαμμένα πηδᾶν videar. Interim tamen eò audaciæ haud devenio, ut asseram in universum omnes morbos posse delineari, ut ne aliquid relinquatur abditi, inprimis ob τὸ θεῖον Hippocraticum. Præterea tamen totus confido, fore, ut quicquid in occulto delitescat, cata tandem in apricum proferat ætas.

§. 14. Ex quibus præmissis per pronam consequentiam fluit, *proximam causam* Dysenteriæ esse quærendam *in Ventriculi* abundante *aciditate* nimia, & *Bile* etiam naturali fervidiori sive vehementiori, h. e nimiùm *alkalica*, vel lixiviali. Ex quorũ succorum p.n. miscela necessitate absolutissimâ propignitur *acrimonia*, quæ figuratâ suâ schesi lædens ad amussim æmulatur, ceu dixi, ⊖ia talia acria corrosiva, sive ejusmodi Menstrua quasi fortia seu regia. Siquidem confligtante acidô & alkali, prædominante quidem acidô, eminet statim nostra *Qualitas acris*. Quemadmodum in Chemia ex ✱⊖is & ☿io, emergit corpus aliquod acerrimum, ☿ nempe ♎ matus. It. ex ⊖is ⊶u & floribus ♁ij Butyrum ♁nij, non acidum, sed maximè corrosivum &c. Ubi simul annotâsse lubescit, hunccè liquorem ♁ij glacialem rectificatum, induere demùm naturam *Menstrui* alicujus *Catholici*.

§. 15. Interim tamen hæ ipsæ causæ prò *diversitate* ipsorum *subjectorum* & *affectuum* etiam discrepant à se invicem gradu non uno. Hanc E. per talia ⊖*ia acria*, corrosiva, spiculis suis acutis, cuspidatis, hamatis, triangularibus & sagittalibus, sive unô verbô, *figuris* suis inæqualibus sive *irregularibus* factam Erosionem, sequitur pressô pede continua Intestinorum convulsio, omniaque, ut suprà inculcatum, *symptomata* huic affectui *congrua*.

§. 16. Quod attinet *Causas mediatas remotiores*, hæ variô modô suum ἐπιβάλλον μέρος adjicere svescunt. Hinc *ex naturalibus* præcipuè suum addit symbolum *Aër*, dum hic

♎eis *particulis* copiosius agitatus, tempore *aestivo*, ac *autumnali*, maturescentibus fructibus *horaeis*, in hoc malo producendo egregiè fit activus; Licet etiam interdum *frigidus nimis*, corporis tubulos sive poros subitaneâ pressurâ nimis claudens, atque sic ob denegatam insensibilem transpirationem, subitaneam in statua vitali inducens mutationem, talem tragædiam cruentam in forum producere valeat, attestante Cl. *Willisio Pharmac. ration.* Assumta, *Cibus* & *Potus*, peccantia vel *quantitate* vel *qualitate* inter causas non naturales haud postremum quoque sibi vendicant locum. Hinc cibi crudi ac semicocti qualibus suis, præcipuè *acredine* nimimiâ turgescentes, quid non efficiunt? annon ex his tota castra, grassante simul Lue Pannonicâ, periclitari sæpè sæpiùs animadvertis? Cæterum omnes Practicos hîc accusare maximoperè fructus *horaeos*, proletarium est & in vulgi ore. In his enim fructibus tanta latitat sepulta acrimonia, ut ut nervearum lingvæ papillarum medullulam svaviter titillent, & hinc gratâ abblandiantur dulcedine, ut cocta deinceps vix ac ne vix quidem assumi valeant. Hinc portiunculæ istæ corrosivæ deinde excitant in Intestinorum cohobiis talem erosionem. Assumtis his connumeranda etiam *Potulenta*, ▽æ inprimis crudæ ac impuris moleculis scatentes; hinc ▽ pota cum ♁to in vase ♄eo asservato, excitavit dysenteriam, teste *Hildano*. It. à vino in ♀eis lagenis asservato *Legatos* Helvetiorum *Bernenses* Argentorati mortuos scribit *Nesterus*. Refer hùc quoq; *Mustum* ac *Cerevisias* non ritè per fermentationem defecatas. Spectant huc etiam *Medicamina*, v. g. purgantia acriora, colocynthiaca & ♉nata, à quibus, ob acrimoniam ⊖no-♀eam, primò quidem hypercatharsis, ast successu temporis Dysenteria periculosissima in dies inducitur, unde dysenteria Excell. *Wedelio in amœn. mat. med. p. m. 235.* hypercatharsis spontanea, sive à principio intrinsecùs facta haud ineptè audit. Dein *Venena* communiter dicta, Arsenicum, Auripigmentum, intellige, it. ☿♎m, corrosivâ ac causticâ vi intestinis infensissima deprehenduntur, Observationes egregias

sug-

suggerit *Hildanus* & *Decker. in not. ad Barbet. Motus & quies*, *Somnus & Vigiliæ* quomodò concurrant ad producendam hanc Lernam nec difficile explicatu, quatenus scil. *inordinatè* se se habent, vid. laudatus *Hildanus obs. chir. lib. 1. Excreta & Retenta* etiam hîc non excludo, hinc *Zacut. Lusitanus prax. admir. l. 3. obs. 19.* à Menstruis suppressis & à fecibus induratis dysenteriam annotavit. *Animi* demùm *Pathemata* concitandô videlicet totum genus nervosum in motus inordinatos, quomodò concurrant & huic malo ancillentur, suâ spontè claret.

§. 17. Ratione verò Dysenteriæ *ex alio corpore Dysenterico propagatæ*, omnia ea, quæ quocunque modô miasmata in suos *poros* recipere possunt, hîc sunt efficacissima. Sic v. g. meminit *Helidæus Paduanus in obs.* Instrumentum Clysmaticum non benè ablutum transportâsse miasma dysentericum in novum corpus. Dein *Vestimenta*, It. *stragula* hîc etiam suum conferunt symbolum. Sic quoque *locus* in quo facta est alvi ejusmodi dejectio cruenta, talia miasmata maligna de se se spargit.

§. 18. Inter *Causas præternatules* meritò palmam fert corporis διάθεσις *scorbutica*. It. alii morbi hanc ceu symptoma quoddam perniciosissimum producunt, v. g. *febres malignæ*, puncticulares, Hungaricæ, variolæ ac morbilli. Eminet verò hîc egregiè ipsissimum *Contagium*, undè Dysenteria haud rarò fit *Epidemica*, imò aliquandò *pestilens*, ceu exemplum prostat in *Josepho l. 6. antiq. Jud.* qualeque conclamatum contagium refert Lynceus noster Anatomicus Celeber. *D. Joh. Conrad. Brunner. in M. N. c. 6. an. Dec. 2. obs. 195.* Ex Præternaturalibus porrò rebus, refert quidem *Hildanus obs. l. 2. c. 2.* dysenteriam lethalem *ex amputatis* ambabus *tibiis* in Juvene facitqve hoc in puncto cum *Hippocrate* & *Villanovano, breviar. pract. l. 2. c. 37.* statuentium, ex *Artuum præcisione* dysentericum flumen oriri. Verum enim verò minùs probabile ac Medicum id ipsum mihi videtur, cùm planè nulla adsit hujus phænomeni rationalis σαφήνεια, prætereaque testetur cotidiana Praxis

Clinica, quod multis quibus præscinduntur partes, nihil tale accidat, ceu quoque vel mille in bello exempla militum prô nobis in contrarium militant. Proin assero, hanc amputationem *absq;* ulla *Sympathia* in isto Juvene subsecutam fuisse dysenteriam.

§. 19. *Differentiæ* ex præmissis unicuique vel Tyroni Medicinæ facilè patescunt, dum alia est benigna, alia maligna, Epidemica alia, alia pestilens. *Maligna* est, quæ atrocissimis symptomatibus sua dramata ludit, siti nempe, palpitatione cordis, deliriô, vomitu, agrypnia, motu convulsivô, plurimosq; invadit & extingvit, nî remediis generosissimis mox in prima herba suffocetur. *Benigna* verò est, qvam adeò crudelia symptomata haud comitantur, neq; adeò multos depopulatur. Alias verò Differentias siccô pede, cum in libris Practicorum ubivis sint obviæ, lubens transeo. vid. *Sennertus in praxi.* &c.

§. 20. Progressum nunc facere licebit ad *Diagnosin.* Quod E. concernit *Signa* Dysenteriæ *Pathognomonica*, illa ex definitione & hactenùs dictis facillimè eliciuntur. Adest scilicet frequens ac cruenta dejectio, & qvidem cum dolore pungitivô atqve exquisitè lancinante, circà Umbilicum, interdum etiam antrorsùm circa os pubis, accedit febris travmatica, omnis perit appetitus, supervenit agrypnia, vomitus, tenesmus, interdum ani procidentia. Imò sitis intolerabilis, & singultus, tanquàm minùs fidæ pedissequæ in hac tragœdia sæpè triumphum reportant. *Causarum* verò *signa* partim ab *Excrementorum* conditione, partim à signis *Succorum* in Corpore abundantium, partim *à vitæ genere*, v.g. militari ac diæta similibusque circumstantiis cato Practico petenda veniunt. An *maligna* & *pestilens* ludat, colligendum ex eo, si commune fuerit malum, & sub forma miasmatis, seu fermenti maligni sese multiplicans impetuosissimè grassetur in incolas, pluresque cum symptomatibus malignitati propriis, v. g, anxietate præcordiorum, petechiis diversi coloris, moriantur. Ratione *Hæmorrhagiæ* verò cognoscitur *primus gradus* ex striis sanguineis. *Secundus* ex jugi

san-

ſanguinis purpurei flumine. *Tertius* verò ex ſanguine conglobato, qui non rarò apparet ſub forma caruncularum. Nemo autem patiatur ſibi perſvaderi, tunc temporis excerni portiunculas *hepaticas*, uti vulgus interdum effutire ſveſcit. Sunt enim *carunculæ* illæ nihil aliud, niſi ſanguis cum pituita inteſtinali coagulatus, in majoribus Inteſtini coli cavernis concretus, quales carunculas etiam cernere licet in puerperis fluore albô aliàs obnoxiis. Imò in variolis antè aliquot annos tales carunculas in puella 4. annorum obſervavi, quæ demùm ſupervenientibus enormiſſimis motibus convulſivis lethalitatem producebant. *Quænam* verò *Inteſtina* afficiantur, colligendum per eruditum στοχασμὸν (1) *ex doloris loco*, qui ſi urgeat circa regionem umbilicalem, ubi ſitum Jleon & jejunum, ibi patiuntur *tenuia*; ubi verò dolor in περιφερεία abdominis & ſub hypochondriis cruciat, *craſſa* laborare videntur. (2) *ex doloris vehementia diverſa*, cùm mitiorem Inteſtina craſſa, atrociorem longè patiantur tenuia. (3) ſi *tenuia*, alvus poſt tormina ac cruciatus non ſtatim deponitur, eò quòd à loco affecto ad podicem longior ſit via; *ſin craſſa* à doloribus illis ſtatim fit ventris excretio. *Gangræna* verò Inteſtinorum ſuperveniens cognoſcitur certiſſimè ex ſiti continua, agrypnia, & inſequente delirio. *Sphacelus* verò ex ſudore frigido partium externarum, frequentiori lipothymia, ceſſatione doloris absque ſingulari euphoria, hinc etiam famigeratiſſimus *Wedelius* dyſenteriam epidemicam *indolentem* obſervavit ex aſſe lethalem, *vid. Ephem. N. C. an. 3. obſ. 43.* *Suppuratio* verò dignoſcenda ex maſſa purulenta per alvum abeunte. Et hæc ratione *Diagnoſeos* ſufficiant.

§. 21. Nunc verò ad *Prognoſin*, quæ Medicum aliquatenùs ἰσόθεον reddit, properandum eſt; variat verò hæc ratione *Cauſæ, partis affectæ, & adjunctorum*. Hoc interim tàm certum, quàm quod certiſſimum, quòd omnis dyſenteria intimiùs penſitata, ſummè ſit periculoſa. Hinc exiguæ aut nullius planè ſpei, ſed *deſperatiſſima* ac funeſtisſimi ominis dyſen-

dysenteria est (1) *ab atra bile*, nullâ præcedente febre, nec co-ctionis signis, juxta ἰατρικώτατον nostrum *Hippocratem sect. 4. aph. 22.* hæc enim, ut *Oribasius lib. 9. cap. 14. tom. 1.* insignitè addit, nihil à ☉ô exulcerato differt. (2) Omnium crudelissima, quæ *à pituita* ⊖*sa atque acida*, utpotè qui succus ratione lentoris difficilius abstergitur. (3) si *post morbum acutum*, inprimis verò febrem malignam contingat. Unde & dysenteriam cum morbillis & convulsionibus lethalem anno 87. observavit *Magnificus Dn. Præses*, & post febrim continuam malignam *Nobil. D. Harderus. vid. M. N. C. an. 6.* (4) Si efflorescentiæ *petechicæ* simul cutem pingant, *vid. observ. 36. cent. 7. Riverii*, & cumprimis, quando maculæ nigræ pòst *aures* apparent, tunc enim instantissimæ mortis signum præsagiunt, ceu *in MSS. Practicis* Avi mei desideratissimi, νῦν ἐν ἁγίοις, *D. Winckelmanni*, Physici quondam Naumburg. non unâ vice annotatum inveni. (5) si *convulsivi motus* cum singultu ac deliriis, animi deliquiis, sudore frigidô, ac cum horroribus quibusdam ultimi, naturæ afflictæ, sed relictæ, conatus indicibus, tragœdiam truculentam ludant. (6) si *inflammatio* ac *erosio faucium* hanc comitetur. Sicuti aphthas oris interna faucesque sæpenumerò in hoc morbo obsidentes, utplurimùm mortem imminentem denuntiare Practicus Londinensis celeberrimus *Th. Sydenham p. m. 266.* observavit. (7) si *carunculæ* vel ulcerum crustulæ, ἐφελκίδες dictæ, dejiciantur, secundum *aphor. 26. sect. 4.* divini nostri Senis. (8) Quandò *gangræna* & *sphacelus* Intestinorum adest, *vid. River. obs. 11. cent. 3.* (9) demum quæ *pestilens*, ac maligna seu *epidemica*. Aliqualis verò sat *dubiæ* tamen adhuc *spei* est, (1) si *sangvis sincerus* profluat ob vasa majora erosa. (2) si cum oris amarore *bilis vomitus* præcedat, (3) si *febris* superveniat. (4) si intestina *tenuia* afficiantur, (5) si *continua* magis, (6) si in longis dysenteriis *cibi fastidium*. (7) si adest *tenesmus* cum ani quidem apertura, ita ut Clysteres quidem admittantur, mox verò rursus elabantur. (8) si *somnus* superveniens malum non tollit, ibi aut subsequitur

morbi

morbi diuturnitas, aut somni frater. Magis verò *salutaris* observatur Dysenteria (1) si *crassa* duntaxat Intestina lancinat. (2) quæ à *Mania* juxtà effatum divini *Coi. sect. 7. aph. 5.* (3) cui *ructus* gutturis superioris & inferioris superveniunt. (4) quæ in *Lienteriam* degenerat, *sect. 7. aphor. 76.* (5) si *podagricos* infestet, *2. prædict. text. 15.* (6) Dysenteria cum *vomitu cruento*, quam salutarem observavit πολυμαθέστατος *Wedelius Ephem. Sect. 2. 83.* Tantùm de Prognosi!

CAP. II.

PRACTICUM.

§. 1. Indole E. Mali hujus atrocissimi καθδύναμιν investigatâ, *Curatela* ejus quoque acceleranda erit. Ut E. compescatur tàm atrox furia, salutares optatissimam opem ferunt *Medicorum manus*, dum scilicet *Remediorum* ἀγαθῶν ἀγαθίδας afferunt, ac ægrotantium τὴν ἔυεξω exquisitiori curâ observandô, cum euphoria malum auferunt. *Fontes* verò ex quibus hauriuntur remediorum λυσιπόνων Thesauri, sunt *Chirurgicus*, *Pharmacevticus* & *Diæteticus*.

§. 2. *Primus* fons paucas vel nullas subministrabit auxiliatrices suppetias. Interim tamen si affluxus in Dysenteria minùs cruentus, febris ac Inflammatio Intestini jam adsit, morbusq; adhuc *in principio* existat generosissimum illud remedium, V.S. volo, præsertim in subjectis plethoricis locum adinvenit non contemnendum, ceu statuit consummatissimus *Bohnius in Coll. MSS.* vid. quoque Clar. *Sydenham. p. m. 272.* Vix autem hoc in passu auscultandum est *Amato Lusitano* & *Valesco de Taranta* in antiqua etiam Dysenteria sanguinis missionem promiscuè commendantibus, *vid. Riverius cent. 2. obs. 44.* Imò in Dysenteria *maligna* ac *Epidemica*, V. S. totô morbi tractu cane pejus & angve esse fugiendam, ob metum scil. latentis malignitatis Cordatis Practicis illibatò verum permanet.

C §. 3. Chi-

§. 3. Chirurgicô E. Fonte relictô, tutiori viâ ad *Fontem Pharmaceuticum*, ceu ad anchoram sacram confugiamus, ubi ditissimum *Trium Regnorum* Gazophylacium erit reserandum. Sed ne Andabatarum more nullô certô jaculô pugnemus, *juxta Methodum medendi* summè necessariam, per sequentes scopos curativos seu *Indicationes, Curatio* citò, tutò, ac jucundè adornanda erit. Scilicet

1. In omni dysenteria succi *acres*, corrosivi quantocyùs *praecipitandô* temperentur.
2. Quibus temperatis hæc ⊖ia acria ex tubulis & poris tùm glandularum, tùm fibrarum intestinalium *abstergantur*.
3. Convulsiones *ex nervis* Intestinorum irritatis sedentur.
4. Miasmata maligna *per Diaphoresin* expellantur.
5. *Symptomatibus* demùm cunctis *providè* prospiciatur.

§. 4. Anteqvàm verò perscrutemur, quomodo *Ia* nostra *Indicatio* sit obtinenda, notandum erit sedulò, communissimè statim ad *Purgantia* viam direxisse hactenùs permultos Auctores, ast annotante insimul acutissimo *Willisio Pharm. rat. p. 1. sect. 3. c. 3.* non adeò commodè, inprimis si non ab assumtis exortum fuerit malum, ubi potiùs per *praecipitantia* sudorifera cum *opiatis* & *castoreis* maritata res absolvenda venit. Quod si verò *ab assumtis* aut cruditatibus *p. n.* ventriculi morbus fuerit, purgatio, sed *lenis*, statim *in principio*; præmissô tamen quoque sedativô, v. g. vesperâ antecedente, locum posset habere, hinc laxativo tali *opiatum* addere non esset inconveniens, licet *Barbette* contrarium arrideat. In quo posteriori casu Vomitorium etiam propinandum esset juxta mentem *Amati Lusitani cent. 2. curat. 44.* ac *Riverii Prax. lib. 10. c. 6.* Tale tamen sit mitius, uti est ⊖ ⊕li, quod *Angelus Sala* ad ℥ß cum ▽cinammomi maritatum exhibet. *Appropriata* verò magis *Laxantia* putant esse Rhabarbarina, Tamarindinata & Sennata. Attamen infaustô sæpiculè cum successu. Multis modis rem tentavi, sed plerumque absque euphoria. Nam certè non ἀνεμοφόρητον putandum, quod *rhabarbarum* plerumque faciat tormina, ob virtutem suam adstrictoriam â particulis terrestribus ortam. Hoc interim

terim facilè largior Autoribus, quòd aliquid præstet, *si morbus* adhuc est *in fieri*, & in casu leviori, sed cùm ordinariè non soleat ad ægrum accersi Medicus, nisi ferè morbus sit *conclamatus*, ibi profectò rhabarbarum æquè ac alias purgationes pessima insequvuntur symptomata ; Siqvidem glandulæ intestinales, unà cum tuberculis sive papillis nerveis in Intestino duodeno ab incomparabili hujus ævi Anatomico, Dn. D. *Joh. Conr. Peyero* primùm accuratissimè delineatis, jam jam notabiliter irritatæ, magis adhuc lancinantur. Imò cum sæpè intrà ♄ & ☍ ægri patiantur 40. vel 50. sedes, tunc ἀπροσδιόνυσον foret, adhibere alvum stimulantia. Hinc *Waldschmid in Medico Cartesiano* nervosè exclamat : Longè errant, & Lege Aqviliâ tenentur, qui dysentericos & pleuriticos purgant, *vid. Illustr. Dolæus in Encyclop. Med.* Ac proin consultius erit, si Intestina *abstergantur per potum tenuem*, ut in Indicatione secunda ulterior mentio erit injicienda.

§. 5. Missis E. purgantibus *ad primæ Indicationis* scopum mens nostra dirigenda. Quæ indicatio consistit in Salinorum, *acrium*, & corrosivorum *succorum* enervatione ac *obtusione*, & omnium optimè obtinetur per omnis generis *præcipitantia*, absorbentia, sive antiacida. Talia autem medicamina *ex penu Animalis Regni* potissima sunt dens equi marini, castoris, unicornu marinum, ungula alcis, cranium humanum præparatum, Ebur sine △, CC. ustum & sine △ paratum, ungula equorum, v. g. cum butyro frixa, juxta *van Helmont*. Talus porcinus calcinatus, de quo *vid. Bartholinus cent. 5. hist. 95.* Priapus tauri ac cervi, mumia &c. It. cancri fluv. eorumque lapides hîc non sunt contemnendæ euphoriæ, undè Maximorum ævi hujus Medicorum Princeps, Magnificus *D. Francke*, Mæcenas meus perquàm gratiosus, *succum cancrorum* fluviatilium tàm in jusculis, quàm Clysteribus multoties cum admirabili successu commendavit Dysentericis, quoniam contrà gangrænam in Intestinis vix aptius remedium inveniatur, teste experientiâ Clariss. *Brunneri vid. M. N. C. a. 6. obs. 95.* Ex Animalibus prættereà hîc sunt egregii omnes *Spiritus urinosi dulces*, dum enim conjunguntur cum Spiritu Vini, aculei salini obtunduntur in tantum, ne cum tanto impetu operentur,

hinc v. g. eminent spiritus eboris dulcis, spiritus C. C. dulcificatus, viperar. & *ex compositis magis* spiritus Bezoarticus Bussii, ac Liquor C.C. succinatus, de quo notetur, quod Salia urinosa C.C. temperentur egregiè per acidum Salis succini, quod nuper elegantissimum & albissimum nudâ solutione &c. paravi. It. Tinct. Coralliorum ob spirit. Cord. C. hîc itidem prodest. *Ex Regno Vegetabili* potissima sunt radix pimpinellæ, de qua vid. *River. cent. 3. obs. 84.* bistortæ, tormentillæ, in essentia & extracto, contrayervæ, suberis pulv. & decoctum à *Borello cent. 1. obs. 57.* commendatum. Secale etiam torrefactum in pulverem redactum, & cum vitello ovi manè & vesperi assumtum, juxta observ. Clar. *Brunneri in M. N. C. l. cit.* It. Sorbi & corni fructus & horum rob. grana actes, cydonia, myrtilli exsiccati. Hinc ex multis composita *Theriacalia* valdoperè æstimo, v. g. Theriacam cœlestem *Quercet.* vel *Andromachi* & Mithridatium cum Diascordio *Fracastorii*, hincque Essentiam Theriacalem cum Spiritu Vini vel spiritu theriacali extractam, uti & ejus extractum. *Ex Minerali Regno* indicatissima sunt, omnis generis ♁*lia* ritè parata, v. g. ♁ diaphoreticum sive paretur per detonationem cum ⊕ ex ♁ crudo, sive ex ☿ vitæ, juxta modum *Sylvianum.* It. ♁ diaphoreticum ♂tum. Huc quadrant etiam *Bezoartica Mineralia*, inter quæ tamen maximopere eminent *Metallica*, ☉re nimirum, ♂le & ♃le. Etenim quia spiritus ⊕i soli ♁io affusus, illud quidem in tantùm resolvit, attamen semper remanent particulæ ⊕sæ nauseosæ, quæque nervis magnoperè sunt inimicæ, has verò metalla conjuncta in se se recipiunt, hinc spiritus fortiùs cum his ipsis figitur. Laudem hîc etiam merentur *Cinnabarina*, ob ♀ suave & temperatum, *vid. Tilling, de Antimonio*, & quidem tàm Cinnabar. nativa Hungarica, quam tantoperè æstimat *Wedelius*, quàm ♁ii rectificata. Et utut verum sit Cinnabarim, uti & ♁ diaphoreticum à nullo dissolvi acidô (benè verò ab ▽â) attamen & hoc verissimum est, quòd butyrum ♁nii tanquàm corpus summè corrosivum intimè Cinnabarim dissolvat. Jam verò assertum est, quòd acrimonia peccans in flumine cruento optimè sit conferenda cum ☿ sublimato, ⊖(co, & consequen-

ter cum Butyro ℥ii. Hùc ſpectat etiam Cinnabaris nativa Clariſſ. *Clauderi*, longâ circulatione fixata. *vid. ejus Invent. Cinnab.* It. ☿ *ſublimatus dulcis*, juxta *Boylium de medicamentis ſpecif.* hùc ſpectat, dum 🜔ium corroſivorum unicus eſt domitor. *Saturnina* v. g. Saccharum ♄ni, quoque ſunt maximè conducibilia in temperandâ lymphæ acrimonia, interim tamen in corpus frequenter quidem aſſumta, ſunt ſummè nociva. Siquidem ab acido lymphæ facilè quidem ſolvuntur, enim verò non in verum 🜕lum, ſed potiùs in Crocum ſaltem quendam, qui dein ſe ſe inſinuat in principia nervorum ſive membranarum, indeque cauſatur convulſiones ac viſcerum obſtructiones. Malo proin *Antihecticum Poterii*, quippe cui præterea ineſt grata viſciditas. *♂alia* etiam hîc non vilipendenda, v. g Crocus ♂ ex batitura, adſtringens, aperitivus & cum 🜔bus, it. omnes Flores ♂ales. Primum Ens ♀is, juxta *Boylium*, & *Vigani* paratum, cum 🜍 🜕li anodyno hùc etiam ſpectant, uti & Magiſterium 🜕li ſive terra dulcis balſamica, quæ autem nunquàm exhibeatur niſi *per præcipitationem* parata, nam per *edulcorationem* ita nunquam præparabitur, quin retineat vim ſtypticam cauſantem convulſiones, cum ſudoribus frigidis & anxietatibus præcordiorum &c. Cryſtall. montan. Lapis hæmatites, Terræ ſigillatæ, bolus Armena, Terra catechu, medulla ſive marga ſaxorum, quæ ingreditur pulverem antidyſentericum *D. Mich.* qui *vid. in Clav. Hoffmann.* etiam non vulgaris ſunt æſtimii. Corallia & Conchæ, ipſæque cum matre perlæ, uniç. foſſil. *ex Marinis* commendantur, uti & ſuccinata, hincque Trochiſci de Carabe.

§. 6. Secundæ Indicationis ſcopus obtinetur, ſi *Inteſtinorum* canales *abſtergantur* per *potum tenuem*, hinc v. g. Cereviſiam Wettinenſem (Keuterling) multis egregiè profuiſſe, expertus eſt famigeratiſſimus D. *Peterman*, (cujus dexteritatem πο῀τλαν ζωαν exoſculabor!) apprimè verò ſi ei commiſceatur *Gelatina priapi Cervi*; miris autem modis hujus decoctum extollit *in tractat. Pleur. fur.* acutiſſimus *van Helmont*. Commodè autem iſtud decoctum inſpiſſari poteſt ad conſiſtentiam Gelatinæ cujusdam, quæ dein non ſine euphoria potui tali in debita doſi commiſceri

 poteſt.

poteſt. Nonnullis etiam in uſum cedere poſſunt decocta furfurum triticeorum vel cereviſiæ ſecundariæ. Imò ſæpiculè non absque felici ſucceſſu pro potu ordinario & vehiculo medicamentorum commendavi dyſentericis *vinum* Rhenanum cum æquali portione ∇æ *fontana* temperatum, cui etiam commodè addi poteſt Gelatina CC. eboris vel Cranii humani, ut ſcil. blandè demulcendô inteſtinorum tubulis ſe ſe afficiant. Talia Lenientia & detergentia appropriata alia apud Practicos invenies, v. g. ſi abſit febris, *Lac* caprillum aut vaccinum, It. Lac chalybeatum, quod potentiùs ſimul conſolidabit, præprimis, ſi cum ſucco plantaginis aut ſaccharo roſato propinetur. Imò *ſerum lactis* tâm ſimplex, quàm ♂atum hîc non contemnendum autumo, quia ſuâ vi anodynâ & reſerante emollit & aperit eroſos atque obſtructos Inteſtinorum tubulos. His verò palmam non rarò etiam dubiam facit decoctum *Coffeé* vel cum lacte, vel cum nuda ∇, uti & decoctum *Thee*, juxta mentem *D. Bontekoë*. Hùc etiam referenda volo decocta carnis & pedum vitulinorum, cum decoctis hordeaceis cinammomiſatis. Dein ſi ſuſpicio ſit, Inteſtina *craſſa* potiùs, quàm tenuia laborare, ratione hujus Indicationis, Practici etiam collaudant Injectiones *Clyſterum*, ita ut adhibeantur primò *lenientes*, ac *detergentes*, hinc *glutinantes*, & *conſolidantes*, ex herbis travmaticis, plantagine nempe, ſanicula, hyperico &c. quibus g. Tragacanthum, ſaccharum Ꞗni & Terebinthinata addunt, uti & Balſamum Indicum album vel Copayvæ, ſolvuntq; priùs cum vitello ovorum, ut magis fluida majorem nanciſcantur vim abſtergendi. Verum hi ipſi Clyſteres ſæpius etiam deprehenduntur in Praxi Clinica magis nocivi, quàm proficui, licet non ſemper, frequentiſſimè tamen καὶ ὡς ἐπὶ τὸ πολύ. *vid. Waldſchm. Inſt. med. rat. p. m. 110.* cui adſtipulatur noſter *Wedelius in Coll. MSS.* qui itidem haud admittit Enematum uſum, quoniam Archæus magis irritetur; ſed ſi aliquid conſvetudini regionis dandum, præſcribantur mucilaginoſa, v. g. ex rad. altheæ, verbaſci, ſymphyt. &c.

§. 7. *Tertia* nunc ecnucleanda *Indicatio*, quæ omnium optimè Experientiâ teſte, obtinetur *per anodyna Opiata*, in quibus

inter-

interdum omnis rei nervus relidet, quæ mox corrigentibus acrimoniam sive temperantibus possunt tutò ac jucundè uniri, quanquam & hæc per se commodè propinentur. Dysenteriam enim sine opio velle curare, ridiculum planè esse, inculcat *Wedelius*. Quanti enim in hoc morbo usus sint, contradicente quamvis *Zecbio consult. 37. & Thonero l. 3. obs. 20.* probat egregiis rationibus Clar. *Horstius lib. 10. obs. 3. & Willisius Pharm. rat. p. 1. sect. 3. c. 3.* ità tamen, ut in majori dosi ordinariâ propinentur, quatenus horum vis energetica à colluvie heterogenea facilè obtunditur, hinc *Riverius cent. 4. obs. 87. ad 4.* grana Laudanum opiatum propinat. Hæc verò opiata ἀκμὴν suam ἐνεϱγητικωτάτην exerunt, si benè sint correcta per acida mitiora v. g. succum cydoniorum, juxta modum *Langelotti*. Sic præparari commodè potest Opium ex mente *Anglorum* cum succo *betulæ*, undè exsurgit egregium medicamen, extrahendum per Spiritum Vini ☿ satum in Tincturam rubineam, quæ de intrinseca valoris excellentioris crasi testatur, dum hactenus in Calculo & dysenteria cum summa euphoria exhibitam hanc scio. vid. *Helmontius*, cujus Laudanum liquidum vide *in Offic. Chym. Stapborst. Lond. p. m. 24.* vel adhibeatur Laudanum liquidum *Th. Sydenbam. vid. p. 275.* vel pulvis anodynus confortativus *D. Michaelis.* Pertinet huc ♀ ⊕li anodynum B. *D. Crameri*, It. Laudanum sine opio *Hartmanni.* Huc spectat etiam ♀ ♁, quod *Thomson* Anglus possedit, anodynum magis, quam opium, & cum feliciori effectu, ceu αὐτοψίαν profitetur Illustris *Borrichius*, nuper denatus. Dein hîc omnium laudum apicem transcendit *Castoreum*, quô ego nollem carere, sed mallem non esse Medicus, effatô Excellentissimi *Petermanni*, siquidem hoc ratione molecularum, queîs scatet, Alcalium Urinoso-Oleosorum, præter virtutem insignissimam diaphoreticam, inæstimabile sedativum sive antispasmodicum est, non solum in *substantia* sive pulvere, (unde & calculum pulverisatum in vesiculis castorei repertum nuper cum euphoria dedi) verùm prætereà sub forma etiam *Extracti.* Imò odoretenùs saltem adhibitum vehementissimas convulsiones sedat, quod hystericæ oppidò attestantur. Inter præparata verò eminet Essentia ejus cum Spirit. Vin. probè ☿ sato extracta

tracta, It. Spiritu ⊖ci cum calc. viv. vel ⊖e ♀ vinoso, qui egregium è castoreo extrahit Tincturam, non tantùm excellentiori rubedine superbientem, sed & virtute majori longè superantem eam, quæ vulgò cum Spirit. Vin. paratur. Spectat hùc ob Castoreum etiam *Laudanum Hystericum* nunquam satis laudandum, fortius virtute anodynâ & magis præsentaneâ, quàm Laudanum opiatum fermentatum, ejus præparatio & usus mihi semper erit in delitiis. Hiscè sedativis Opiatis commiscenda etiam *temperantia*, ceu dixi, hinc egregii usus sunt suprà laudati *Spiritus Urinosi dulces*, qui ⊖is acrioris acuminata tela hebetandô doloris insimul sævitiem insignitè demulcent. Ulteriùs obtinetur etiam hæc indicatio per alkalia illa, *styptica* dicta, v. g. pulvere styptico *Wedelii*, pulvere dysenterico *Crollii* &c. quatenus his præter virtutem temperandi sive dulcificandi inest insignissima vis commovendi nervos, hincquè in alium motum transmutandi, quæ tamen styptica omnia cum grano ⊖is sunt adhibenda, ne nimirum nimiùm copiosa dentur. Hùc etiam omnia *Olea stillatitia*, v. g. cinam. caryophyllorum, macis &c. spectant, nam in Oleis istis multa delitescit Terra, jam verò ubi adsunt particulæ Terreæ cum ⊖bus, ibi emergit stypticitas. &c. Deinceps vim anodynam & lenitivam suggerunt etiam *Externa*, v. g. pingvia ab extra calidè illita, uti sunt Axungiæ, viperarum, hominis ac canina, quibus tamen miscenda sunt *Olea ℞ta aromatica*, uti Oleum ☉ntiorum, menthæ, cinam. caryophyllorum, cum Balsamo Peruviano nigro, addo etiam *Olea insolata* v. g. verbasci, chamomillæ, linariæ, hyperici. Aliàs ceu *Topica* multa à Practicis commendantur, v. g. fumus Zingiberis & CC. à *Boyle experim. Philos. tom. 2. sect. 5. c. 14. & du Hamel. de affect. corpor.* magnoperè extollitur, It. vapor ex glandibus quercus, in ✛ fortiori coctis *à Rulando curat. empir. cent 7. obs. 70.* commendatus, quæ duo ano excipienda remedia. Ventri autem applicatur omentum vervecis calidè exemtum, quod egregium est paregoricon sive mitigativum. Huc etiam refero Emplastrum Theriacale cum myrrha *D. Petermanni*. It. Emplastrum nigrum ad sinistrum orificium ventriculi *Linckii*, hoc uti est remedium infallibile in hypercatharsi, sic &

sic & hic non satis laudandum. An verò juxta consilium *Agricolæ chir. parv. l. 3. c. 18. lotio pedum* per decocta adstringentia conveniat in medio relinquo. Cætera *Externa* in libris *Practicorum* ubivis prostant.

§. 8. *Quartæ Indicationi* egregiè accendunt Lampada, dicta *Bezoardica Sudorifera*, tàm *Volatilia*, quàm *Fixa*, itidem cum theriacalibus, castoraceis & opiatis maritata. In dysenteria E: maligna sive *contagiosa*, his [illegible]tantibus Bezoarticis sive blandè sudoriferis alexipharmacis μίασμα contagiosum per cribrum cutis porosum eliminandum venit. Sint verò hæc diaphoretica non nimis aucta, ne benignum Microcosmi rorem nimiùm absumamus. Prò hoc scopo obtinendo conveniunt, ♁ diaphoreticum simplex & ♂le, Bezoartica *metallica*, præpr. v. g. ☉re. It. CC. ☉tum, ☉ vitæ *Poterii*, CC. cum ♁ ustum & tinctum *Michaëlis*, Cinnabarina etiam cum lapide V. Bezoardico orientali, Terra sigillata, Lemnia, & ex compositis pulvis bezoarticus *Sennerti* ac Pannonicus ruber. Ex liquidis valdè excellunt, Essentia lapidis Bezoar *Waltheri Dresd.* Essentia Theriacalis, castorei cum [illegible] ⊖(ci, [illegible]bez. *Bussii* ac Liquor CC. succinatus. It. Tinct. Bezoardica *D. Wedelii* & *Michaëlis*, it. Essentia bezoartica *D. Petermanni*, ac Tinct. nostra Bezoartica, cui ingreditur camphora cm Spirit. acido [illegible]mata, quæ evadit hinc etiam acerrima ac sternutatoria. *Balsamũ* ♀*is in Coll. Mss.* Beatus *Ettmüllerus* magnoperè extollit cum saccharo ♄ni; qui certò dicatur curare dysenteriam. Enimverò Balsami ♀*is cum Oleis* ♌*is* sæpiùs usurpati sensim atque sensim excitant in Ma Sa phlogoses & hinc febrem hecticam, ob viscidіtatem nimirum nimiam hinc rariùs in usum vocentur. Ii verò Balsami qui parantur *cum Oleis expressis*, v. g. Balsamus ♀ amygdalinus valdè sunt nauseosi. Tandem an *hepata serpentium*, ac *viperarum* exsiccata tanti hoc in passu sint valoris tantique æstimii, ceu gloriatur *D. Mich.* & *Ettmüllerus*, meritò suspendo Judicium.

§. 9. *Ultima* deniq; *Indicatio Symptomatum* mitigationi ac *Curatelæ* velificatur, ubi statim 1. Se sistit in apricum *Tenesmus*. Huic succurrendum partim per *Suffimentum* ex farina fabarum, fol. thapsi barbati, mastiche & Colophonio; partim per *Fatus calidos*, ex herbis emollientibus & anodynis compositos &c. Vel hæ species

 in

in *lacte* decoctæ excipiantur vel spongiâ vel sacculis, vel vesicâ suilla, quæ dein Intestinali tubulo calidè adaptanda tamdiù donec refrigescat. Vel solô florum verbasci decoctô foveatur anus, quod commendat Clariss. *Juncken in sua praxi Med. p. m. 357.* Hunc Tenesmum sæpè insequi assolet 2. *Ani Procidentia*, in cujus curatione Intestinum laxatum vel prolapsum etiam quantocyus *reprimatur* aut manu Chirurgi aut rebus etiam calidis. Manu Chirurgi reponitur dum nimirum inungit pollicem cum indice manus dextræ Oleô quodam anodynô, v. g. verbasci & qvidem tepidô & cum hoc simul intestinum prolapsum, sicque sensim intrudit, ubi & superiùs laudati fotus commodè applicantur. Repressum verò *firmetur* partim per *Emplastra*, partim etiam per *suffimigia seu Fotus* adstringentes. *Emplastrum* tale expertissimum paramus ex G. sagapen. & opoponace anà suff. quant. Induc. alutæ formæ triangularis & imponitur ossi sacro. *Suffimigium* verò fiat ex pulvere grosso G. asphalti, succini, thuris, myrrhæ, mastichis, anà, qui inspergendus carbonibus accensis. *Fotus* verò adornentur ex adstringentibus, v. g. foliis quercus, salicis, flor. balaust. ros. siccis, rad. tormentillæ &c. quæ species incisæ coqvantur in ▽ & applicentur calidè. Hîc qvoqve prospiciendum 3. *Virium debilitati*, cui succurrendum per ità dicta *Cordialia*, hinc meritò palmam tribuimus medicamentis ☉*ribus*, *ambratis*, *moschatis* ac *perlatis*. Quod concernit ☉*ria*, indicatissima est Tinctura ☉ *Dn. Linckii*, qvæ egregiè refocillat extremè viribus privos. Volatilis est hæc Tinctura odore suô volatili, volatilis effectu, & virtute sua volatili. De hac Tinctura perspectissimum habeo; qvod ☉ priùs calcinandum sit philosophicè cum fumo alicujus mitioris metalli, dein per certum tempus certamq; Machinam terendum in pulverem impalpabilem, qvi solvitur cum Spiritu 🜍i, additurqve dein Spiritus Rosar. sylvestrium, vel alius, ut cinammomi. Sapienti sat! vid. præterea *Kunckel in* Wunder-Pillen *p. m. 29.* It. *Ulstadii Cœlum Philosophorum.* Tinctura ☉ Dresdens. *D. Gantzlandii* cum Oleo cinammomi etiam suas meretur laudes. An verò ob virtutem talem refocillatoriam ☉ Philosophicum (quale *Kerckringius* ostendit *D. Morhoffio* ex ☿ & ♀ ♉ paratum) præ naturali, uti Alchymistæ volunt, magè sit eligen-

dum

dum, in medio relinquo. Interim tamen nullus dubito, si, uti habet *Becoberus Metallurg. p. 1.* experimentum nobis constaret, ☉ in naturalissimam Terram sigillatam conficiendi eamq; irreducibilem, quin singularissimum antidotum haberemus hoc in passu miseris dysentericis indicatissimum. Quod spectat *Perlas orientales*, hæ adhibeantur vel præparatæ vel earum Oleum sive liqvor. Nam illis præter virtutem ☐tandi, qvippe qvam cum aliis marinis communem habent, etiam inest vis Spirituosa nervis maximè grata & amica. Testatur id ipsum Margaritarum præparatio & vehementior super marmore tritus, omninò enim spargunt odorem svaveolentem per totum conclave, in qvo teruntur, quô ipsô commotus, quò minùs facerem cum *Zwœlffero* aliisqve. Cæterum si haberemus rorem primogeneum *Lacteum* perlarum, haberemus certè arcanum incomparabile. Stupendæ porrò sunt vires ad viribus orbos restaurandos in *Ambratis* & *Moschatis*. Hinc præter pulverem *Essentia* ambræ gryseæ cum Spirit. Rosarum facta *D. Mich.* vel Essentia ambræ liqvida instar butyri tamen concrescens Nobilissimi *D. Stretæ*, sunt egregia restaurativa. Ratione moschi & ambræ etiam hîc commendanda Tinctura Coralliorum cum Spiritu cord. C. vel c. Oleo *Fœniculi* juxtà *Langelott*, vel juxtà *Vigani*, vel cum Spirit. roris Majalis Aëreo, & cum Tinctura granorum chermes maritata. At qvia 4. *Ventriculus* etiam *debilitatur* per tam diutinam excretionem, huic etiam de novo robur addendum per *Stomachica* ità dicta, v. g. per Liquorem Terræ foliatæ ♀i, cum Spiritu cinammomi, ⊖ia Volatilia Oleosa *Sylvii*, in forma fluidâ & siccâ, per Essentiam menthæ cum V. Malvatico, Q. E. cinammomi, Elixier proprietatis *Helmontii*, qvod arcanissimum vocat *D. Clauder. in Invent.* Cinnab. &c. Instar omnium verò hîc sunt Melipecta Norica Vinô Canariensi imbuta. &c. Sub finem tandem reconvalescentiæ ut pl. etiam ægrotantes valdè vexantur 5. ab *Ulceribus sinuosis* in Intestino recto, adeò ut hæc ulcuscula profundiora non rarò degenerent in *Fistulas* incurabiles. His verò in tantùm possumus remederi *Clysteribus vulnerariis* notis. Si verò adsit jam *fistula* inter clysteres freqventiùs sumantur Balsiami ♀is, v. g. *Rulandi* & terebinthinatus &c. Alia Symptomata hoc dysentericum flumen concomitantia diligentior Practicorum lectio suppeditabit,

§. 10. Qvod deniq; concernit *Fontem Diæteticum*, sedulò observandum, qvòd ægrotantibus sint exhibenda ea, qvæcunq; modò fuerint appetita, nam ut ut interdum videantur minùs salutaria, attamen prosunt ob appetitum. Id qvod probari posset Exemplis innumeris non rarò absurdis. Sic v. g. memini dysentericæ maximè ægrotantis, quæ optimè se se habuit post assumtum recens *halec* cum quadrante *cucumeris* recenter ⊖e conditi. Etsi caro aliàs agnina, leporina, gallinarum & avium cum oryza & aliis *ἐυπέπτοις* dysentericis sint egregiæ Alimoniæ. Ulterius verò in dysenteria *potus Vini* generosi, inprimis rubedine superbientis, magis proficuus, quàm *Cerevisiæ*. Modò observetur, quòd aliquandò sit exhibendus potus tenuis ad abstersionem, ceu superius est monitum. Sunt equidem qui denegant ægrotantibus vinum, propter febrem, uti judicat *D. Bruno in MSS. Coll.* attamen rigor nimius hîc est supervacaneus, multoties enim summam vim analepticam observavi in ægris ex haustulo vini generosioris. *Frigidæ* verò *potiones* inprimis sunt vitandæ, uti & *nimiæ*. Conveniunt hinc etiam *Juscula calida* decoctionis gallinarum vel caponum, it. *lac* calidum, *serum*, uti & lac amygdalarum dulcium, imo ▽a *Theisata* hîc etiam non vilipendenda, quoniam egregiè diluit ⊖la acria, commendante hoc *Mandeslob in suo Itinerario*, It. decoctum Choccoladæ & Coffeé &c. *Aer* temperatè *tepidus* quæratur, absit verò *frigidus*. *Motus* omnis *nimius* cane pejus & angue fugiendus, sed amica *quies & somnus*, ceu optima fluxuum sedativa, omni curâ procurentur. *Animi pathemata* etiam non sint *immoderatiora*, sed justô sanæ rationis moderanda sunt frenô. *Excreta* & *retenta* non in communem Cloacam, sed in flumen effundantur, vel Terræ mandentur, ne adstantes ab illorum effluviis & seminibus miasmaticis inficiantur. &c. Et sic tandem B. cum D. Turpissimæ hujus *Dysenteriæ* & crudelissimorum ob *Symptomatum* non minus ac *Curæ* Medici molestissimæ [illegible] exoptatissimus affulgebit.

F I N I S!

Archiatro Animæ Gloria!

NOBI-

NOBILISS. ATQ; PRÆCELLENTISS.

DN. FRID. GOTOFR. Glück/

MEDICO FELICI,

CIVI ET AMICO SUO EXOPTATISS.

S. P. D.

GEORGIVS FRANCVS.

ΠΟΛΥΘΡΥΛΛΗΤΟΝ est illud NASONIS atque confatale:

Conveniunt rebus nomina sæpè suis:

Certe GLVKKI NOBILISS. εὐτυχία sancta & auspicato fortunatus eris vel ex concorde nominis germanitate! Nolo certe equidem ulcus tangere, qvo fortunam plebs ventosa (α) in Medico procaciter ac pertumultuose requirit, cum rem justissimo cachinno jam pridem docti Viri (β) merito suo exceperint. Objiciuntur nobis συκοφαντικῶς eadem, qvæ olim HIPPOCRATI Magno: Sed sermoni obtrectatorum locum

D 3

(α) Immo & alii ex loco Hipp. de locc. in hom. c. LVIII. Ed. Lind. (β) Hipp. l. 8. J. H. Meibom. comm. in ὅρκον cap. XX. n. 14. seqq. p. m. 197 & n. 30. ubi è pluribus. J. Sperling. in Phys. c. 7. ubi ait: Ubi multum fortunæ, ibi parum intellectus: cum in Medico laudare fortunam, est Medici accusare ignorantiam. Rod. à Castro, Med. Polit. l. 2. c. 14. p. 103. seqq. Reies Camp. Elys. Qv. XVII. per tot. I. D. Major. tr. pec. de Fortuna Medici Kilon. 1667. in 4. Fr. Patrit. discuss. peripat. t. 2. l. 6. f. 242. Sennert. Phys. l. 1. c. 4. & Inst. Med. pag. 1323. Primeros. de Err. Vulg. l. 1. c. 13. Rolfinc. Chim. in A. F. R. l. 1. cap. 4. Liebler. Phys. p. 56. 66. W. Höfer. H. M. l. VIII. c. 1.

cum non relinqvimus, quin, cum Eodem illis confidentissime respondemus. -- Eccillum illius locum in Epist. ad Democrit. (γ) *Artis Medicæ* [inqvit per interpretem] *recta facta plerique è vulgo hominum non admodum laudant, verum Diis sæpe attribuunt. Si verò Natura reluctata perdiderit eum, qui curatur; Medicos reprehendunt Numen prætereuntes; &c.* Subscribimus perliberaliter STAGIRITAE (δ): *Fortuna in ejusmodi esse dicitur, ubi neque mens ulla, neque recta ratio est.* Et paulo post: *Ubi mens plurima, ac ratio, ibi fortunæ minimum: ubi plurima fortuna, ibi mens perexigua.* Vel saltim ita cum ἰατρικωτάτῳ Illo Jo. CRATONE (ε) explicemus, quod *hi soli fortunate facere videantur, qui sciunt: Et contra, infortunate, qui ignorant. Fortuna enim uti, est recte facere, hoc vero, qui sciunt, faciunt. Non uti fortuna, neque assequi hoc, quod velis, est id facere, minimeq; recte, quod nescis. Inscius verò atque indoctus, quomodo, quæso, fortunate aliquid ad finem perducet?* Idem ergo *solos artifices esse fortunatos credidit, qui artem seqvuntur, & successus à DEO petunt.* Facessat igitur turba infidi vulgi male-sana, quæ Medicum ægri salutem non e divina & naturali efficientia, sed perincommode e fortunæ olla fortuna bruta prolicere credit. Ego cum PELIGNO:

-- careat successibus opto
Qvisqvis ab eventu facta notanda putat!

Non male Casp. a REIES (ζ): *Hinc evenit, ut minus sapi-*

(γ) Ed. Lind. tom. 2. pag. m. 933. & Foës. f. VIII. f. 20. (δ) l. 2. Magn. Moral. c. 8. f. m. 137. (ε) in Epist. dedic. ac Montani Cent. 2. Consil. (ζ) l. c. n. XI. p. m. 198. ex Hipp. l. de Vet. Med.

sapientes & idiotæ in Civitatibus aliquibus se audiant ad-clamari, & summis laudibus extolli: Docti interim non levem patiantur jacturam & obprobrium, [NB.] ob meram hominum ignorantiam, *qui hoc nec agnoscere, nec assequi potuerunt.* Ego proinde cum πολυμαθεστάτῳ J. H. MEIBOM. (η) *a DEO O. M. prosperum omnem in medendo successum, caussasq; omnium prima dependere statuo, atque h. m. fortuna opus esse: Ita enim vocabuli fortunæ quidem abutor genuino significatu, nihil vero falsi, sed quod fas piumq; est dixero.* Scil. ἡ γὰρ εὐσέβεια πρὸς πάντα ὠφέλιμός ἐστιν (ηη); adeoque vel maximè ad Medicinam, quod ex pietate Hippocratea, palàm fecit elegantissimus Medicorum & πολυΐστωρ LINDENIVS (θ). Hanc Tibi, Svavissime GLVKKI, fortuna fortunatiore & avita hereditate esse propriam vel inde cum Vase electionis & Doctore Nationum (ι) D. PAVLLO (κ) πέπεισμαι ὅτι καὶ ἐν σοὶ, quia magnus Ille Patriæ nostræ Machaon B. CVNRADVS WINKELMANNVS [cujus reverendam jam ante octo hæc lustra suspexi caniciem] se matutinus agebat, fusis ad DEVM precibus pro se suisque ægris, ceu αὐτόπτης mihi olim testis Parens meus ꝟ. TIBI verus DEI cultus est potior ac Rom. FORTVNA COELESTIS (λ) CONSERVATRIX ve. (μ) Hæc est felicitas summa, nec religiose e Fortunatis re-

peten-

(η) l. 1. n. XXVII. p. m. 201. (ηη) 1. Timoth. 4. 8. (θ) Select. Med. III. p. m. 41. seqq. (ι) Tertull. de Resurr. cap. 23. (κ) 2. Timoth. 1. 5. (λ) Inscribt. in agro Vorburg. Hollandiæ ex Th. Segetho Scoto ap. G. Horn. l. 2. Hist. Phil. c. 5. cit. Th. Reines. Inscribt. Antiqq. class. I. n. 137. f. 169. (μ) Cambden. ex agro Brigantum ap. Selden. in Arundel. teste Reines. l. 1. n. 224. f. 161.

petenda Insulis! Non equidem respuo illud SCLERIAE,

> Ὑγιαίνειν μὲν ἄριστον ἀνδρὶ θνατῷ;
> Δεύτερον δὲ φυὰν καλὸν γένεσθαι:
> Τρίτον δὲ πλουτεῖν ἀδόλως: Εἶτα
> Τέταρτον, ἡβᾶν μετὰ τῶν φίλων.

Interprete C. GESNERO;

> *Optima quidem est sanitas Viro mortali;*
> *Deinde bonum ingenium:*
> *Tertio divitiæ sine dolo partæ:*
> *Postremo, vigens ætas inter amicos.*

Qvin TIBI, Φίλτατε Φιλοςόργως comprecor ea omnia; quippe qui illud PLAVTI (ν) Tibi putasti dictum:

> *Virtute ambire oportet, non favitoribus:*
> *Sat habet favitorum semper, qui recte facit!*

Qvoniam ex Ejusdem (ξ) mente;

> -- *Sapiens quidem pol ipse fingit fortunam sibi.*

Adclamo, cum ENNIO; (ο) Quod fortunatim, feliciter ac bene vortat! & cum OVIDIO: (π)

> *Di TIBI sint faciles, & opis nullius egentem*
> Fortunam *præstent!* -- --

Denique cum UMBRO meo (ϱ) finio:

> *Tantum est! Valeto, bene rem gerito, & vincito*
> *Virtute vera, quod fecisti & antidhac!*

P. P. e Museo meo XV. KL. Decembr.
cIↃ IↃc XC.

(ν) in Prolog. Amphitr. v. 78. (ξ) Trinum. II. 2. 84. (ο) in Annal. (π) Trist. I. 4. 15. (ϱ) in Casinæ prolog. v. 87.

